

(45:2)

M A R I A

Concordi quatuor Facultatum apologiâ
ab originalis peccati labe vindicata ,

Coram

ILLUSTRISSIMIS AC EXCELLENTISSIMIS
REGNI BOHEMIÆ PROCERIBUS,
REGISQVE LOCUMTENENTIBUS: (Tit:)

Nec non coram

Senatu , Populoque Academico Universi-
tatis Carolo-Ferdinandæ Pragensis ,

SUB RECTORATU

Admodum Reverendi ac Eximii Patris

Patris

JOANNIS MILLER

è Societate JESU.

SS. Theologiæ Doctoris, Cæsareo-Academici Col-
legij ejusdem Societatis Pragæ ad S. Clementem, nec
non præmemoratae Universitatis p. r.

RECTORIS MAGNIFICI,

In Basilica Tainenſi

Anniæ venerationis ergo

proposita

à Reverendo ac Eximio Patre, P. Joanne Duchek Societatis
JESU, SS. Theologiæ Doctore, in eadem Universitate Po-
lemica Theologiæ Professore Regio, Publico, ac Ordinario.

Anno 1710. Mense Decembri, die 14.

TRISMEGISTÆ
VIRGINI MATRI,
Semper Sanctæ,

Semper apud Altissimum gratiosæ,
à Communi maledictō exemptæ,
In sui Conceptione Immaculatæ

MARIÆ,

Recurrente annua Solennitate

PUBLICI JURISJURANDI

A Celeberrima Universitate Carolo-Fer-
dinandea Pragensi super hoc Illibato Myste-
rio præstari soliti.

D. D. D.

Infimus clientum
Joannes Duchek
S. J.



O R A T I O.



Pace tua Eximia Facultas Theologica dixerim : non tua solum est illibata MARIA, ut pro Tainensibus nostris Theosophi duntaxat audiantur Oratores ; suos enim quoque hodie Clarissimos Ivones, Excellentissimos Cosmas & Damianos, Doctissimasque Catharinas avet habere immaculatè Concepta encomiastes. Quemadmodum enim pro illo incomparabilis eruditionis laureato verticè Homero septenæ Græciæ Urbes decertaverunt :

Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamis, Chios, Argos, Athene;

Ità quoque pro intemeratis aninationis MARIÆ primordijs, his secundus inclytarum Facultatum quaternio amicissimo dissidio disceptat. Exinij siquidem suum hoc mysterium dicunt, Clarissimi suum vendicant, Excellentissimi suum repetunt, Doctissimi denique suum esse contendunt. Quis æquissimus Paris litem decidat? Quæ incorrupta Nemesis sententiam dicat? Verùm enim verò citra dissidium una omnium est MARIA; Sanctissima siquidè *Θεοτόκος* ad Theologos, *Advocata nostra* ad Jurisconsultos, *Salus infirmorum* ad Medicos, *Sedes sapientie* ad Philosophos jure merito pertinere viderur. Diversitas hic nulla est adversitas, multitudo est collecta unitas, quaternio Facultatum nihil aliud quàm mutuam vinculum charitatis. Uno igitur animo, studio, mente, consensu, uno ore & lingua, uno eodémque oratorio spiritu, totum Universitatis Corpus immaculatos Deiparæ honores hodie celebrabit. Theologus ore loquetur Jurisconsulti, Jurisperitus lingvâ disseret Theosophi, Medicus concepti abundabit Philosophi, Philosophus rationibus Medici se se ex integro conformabit. Verbo omnes dicent MARIAM immaculatè Conceptam. Et quantumvis singulæ aliòquin Facultates diversissimo circa objectum proprium distineantur studio, discordent thesibus, alijs atque alijs regulentur axiomatibus; dum tamen de intemerata Virginis Conceptione agitur, omnium est idem conceptus, idem axioma, eadem thesis. O quanta harmonia! quando tam concordæ moralis symphonix organo laudes canuntur intaminatæ DEI Parenti!

Vestrâ igitur *ILLUSTRISSIMI ac EXCELLENTISSIMI REGNI BOHEMIÆ PROCERES, REGIŒQUE LOCUMTENENTES*, gratiâ, benignitate ac propitio favore; Vestrâ quoque Magnifice Rector, Spectabiles Decani, Eximij, Clarissimi, Excellentissimi, DoctissimiŒque Professores, ceterique Spectarissimi AA. fretus benevolentiâ, argumentum hodiernæ dictionis proponam, quod non aliud est: quàm unanims omnium quatuor Universitatis Facultatum de immaculata *MARIÆ* Conceptione consensus.

Ac præcipuis illa scientiarum Dea, theodidacti orbis magistra, arcanorum divinorum thesauraria, codicum voluminûmque Sacrorum bibliothecaria, ænigmatum fidei enodatrix faultissima, inter intricatissimos hæreseon labyrinthos Ariadne secundissima, docillima Spiritûs Sancti discipula, purpurata Romanæ Ecclesiæ consiliaria, Sacrosancta inquam Theologia, rostra hodierna occupat, prôque illibato *MARIÆ* Conceptu ita perorat. Illam rationalem creaturam oportet in primo suæ animationis instanti esse illibatam, intemeratam, omnisque hæreditariæ Adami culpæ expertem, pro cuius integerrima innocentia stant Sacrarum Paginarum codices, cujus liliato Conceptui Sanctorum Patrum suffragatur auctoritas, cujus iustissimas assumunt vindicias Summi Pontifices, quam non solum ab Adameæ labe, sed ab ipso proximo debito contrahendi peccatum originale eximunt Eximij Theosophiæ Soles, quam diffusæ per orbem catholicum defendunt Universitates, cujus tuentur intemeratum primum honorem Sacri Canones, quam denique in originaria gratiæ possessione stare constans omnium seculorum tenet traditio. *Quis* verò in literario orbe tam illiteratus, aut in medio apologeticorum pro immaculata Deiparæ Conceptione librorum tam ignarus sit, quem hæc universa lateant? Igitur postpositâ omni dubitandi ratione, manibus pedibusque (ut ajunt) in hanc piam sententiam est concedendum.

Nervosè conclusisti divinisima scientiarum Regina Theologia: laxa porrò aquilinum calamus, distringe oraculis æmulam linguam tuam, ac porrò plus quàm niveum innocentissimæ Primulæ Conceptum orbi divulga. Et verò facundissima Oratrix altiùs mentis aciem intendens, sublimiŒsimas illas Angelicæ Hierarchiæ seu eminentias seu celsitudines pro argumento in rem suam adducit. Assitrices illæ throno divino Intelligentiæ primo creationis suæ instanti, sine labe, sine nævo, sine macula extiterunt; igitur & *MARIA*. Probatissima consequentia est; quæ enim Angelos inter & *MARIAM* comparatio? Universa Spirituum cælestium altitudo atque excellentia coram sublimiŒsima *MARIÆ* Majestate in imum procidit, montemque in vertice Angelicorum suorum montium situm demississimè veneratur. Tanta nimirum illibata *Θεοτόκος* est præ æthereis spiritibus excellentia, ut ubi exaggerata omnis eorum gratia in unum congesta definit, ibi principium duntaxat sit collatarum in *DEI* Genitricem gratiarum.

rum.

rum. Unde si illi Sanctissimi divinæ aulæ Primores in primo suæ creationis instanti illibati extiterunt; quid ratiocinandum nobis est de ipsa illorum Regina MARIA? An eam infernalis serpentis toxicum afflavit? An ullius criminis pestis infecit? An primigenia Adami labes contaminavit? meâ quidem opinione, toti prius naturæ Angelicæ infame perduellionis in DEUM stigma inusseris, quàm in Deipara vel atomum originalis navi repereris.

Et quod princeps pro sanctissima prima MARIE animatione Theosophia argumentum habet, illud est: MARIA ab æterno præordinabatur in Matrem DEI; ergo in primo sui Conceptu erat penitus intemerata. *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis, antequam terra fieret.* Prov: 8. *In omni populo. & in omni gente primatum habui.* Ecclesiastici. 24. Quomodonam igitur primum esse Marianum deterius sit Damasceno primordio protoplastinatis Adæ? An præelecta ex millibus æterni Patris filia, Divini Verbi Mater, Sanctique Spiritûs sponsa minori gratiæ privilegio donata sit, quàm infelix Mater Eva? quæ tamen primum vitalem Spiritum hausit sinè peccati peste, primam animæ cum corpore unionem indepta est sinè macula, primam hominis induit formam sinè nævo. Et MARIA super omnes creaturas per admirabilem DEI Maternitatem evecta concipitur in delicto, primum animetur in scelere, primo sui in orbem ingressu à gratia DEI exorbitet, prima Conceptionis MARIANÆ festivitas, sit perduellis adversus DEUM hostilitas? Appello Ecclesiam! Festum Conceptionis MARIE est de præcepto; ergo Conceptio DEIPARÆ est sancta; nihil enim Ecclesia religioso, præfertim hyperdulicæ-cultu, venerari, ac celebrare potest nisi Sanctum. Portentum siquidem enorme foret, colere Conceptionem non Sanctam, sed scelere Adameo sædam, originalis labis maculâ deformem, hostilitate, & odio DEI execrandam.

Et quamvis hæcenus claris, expressisque verbis immaculatæ Conceptionis MARIE veritas in divinissimis Scripturis revelata neutiquam reperiatur, neque in ullo Concilio, Decretali, aut Bullâ Summi Pontificis directè definita sit; tantis tamen gravissimarum rationum ponderibus nititur; ut Sanctissimum celeberrimarum per orbem Universitatum jusjurandum jure merito sibi deposcat.

Ast quid ferale, funestumque audio! *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Ad Romanos 5. v. 12. Ex hoc facerrimi apparatus armamentario fatalem evibrat balistam immaculatæ Conceptionis antagonista: Si omnes in Adam peccaverunt; ergo & MARIA. Parce metu Universitas Prægenæ: non est vibratum hoc fulmen in caput semper intemeratæ DEI Genitricis; illi omnes duntaxat in Adam peccaverunt, qui erant inferiores ipso in donis gratiæ, quorumque voluntates tanquam inferiorum inclusæ erant in pacto Protoparentis, non verò exemptissimum caput, voluntasque longè perfectissima MARIE, quæ

nec inclusa fuit, nec inclusam fuisse congruebat in fatali pacto Prævaricatoris Adami. Exaltavit providentissimum Numen caput ejus, & mirati sunt in illo multi, & honoraverunt DEUM. Ecclesiastici II. v. 13. Exaltavit videlicet caput MARIÆ DEUS ultra Adami calvariam: hinc causa tantæ admirationis, & delati ei honoris. Extulit memoriam Virginis ultra oblivionem Adæ: hinc reverentia Numinis nunquam illius mente excidit. Extulit intellectum MARIÆ ultra sciendi aviditatem Protoplasmaris: hinc de arbore scientiæ boni & mali non gustavit. Evexit voluntatem Deiparæ ultra tutelam Proparentis: hinc primum cum stygio serpente contractum non inivit. O caput MARIÆ merito stellis coronatum, quod sylvæ tertiæ partem stellarum secum trahenti non adhæsit! O caput jure merito coronâ gloriæ redimitum, quod nullam unquam capitis est passum diminutionem! O caput Mariano corpore dignissimum! totum illibatum, totum intemeratum! quod nullâ unquam erroris fuligine infectum, nullo male argumentantis primâ paradisiaci sophistæ sophistate est delusum! Caput hoc MARIÆ divinorum arcanorum bibliotheca, contemplandæ divinitatis specula, Caput Salomonis vertice longè nobilius, Caput nunquam peccato subditum, semper privilegio DEI liberum, caput meritissimum, quod vel ipsis præfesset Angelis, non verò turpissima servitute dæmonibus famularetur. Minimè, minimè decebat, ut tantum, tantisque gratiæ prærogativis instructum, providentissimòque Numinis consilio à pacto Adami exemptum MARIÆ caput, infelicissimæ illius sive Tutelæ sive Curatellæ subderetur. Nunquam igitur MARIA (etsi reliqui omnes) in Adam peccavit.

Quod si ex sacris depromptas oraculis cernere libet figuras Auditores, quibus præservata Sacratissimæ Joachim & Annæ Filiæ innocentia pateticis declaratur exemplis: Spectate faulitissimam illam Noëmi (si ita fas est dicere) Argonavim, quæ inter decumanos universalis cataclysmi fluctus, interque pereuntis totius orbis ruinas solæ mansit incolumis, atque ab omni exitio indemnitas; quid fas est cogitare de illa sacratissima Arca, illo salutis asylo, quo ipsa salus, ipse Salvator per novem menses inter sævissimos turbulentissimi hujus mundi fluctus continebatur? An illa fortunatissima portans frumentum electorum oneraria in scopulos originalis culpæ sit allisa, in syrtes Adamiæ infelicitatis sit adacta, in charybdim tartaræ voraginis sit unquam præcipitata? An illa pusilla instar coriandri, peregrinantis Israël collecta esca, ipsiusque asservatrix Arca putredinem nesciit, & corruptionem? Et sacrosanctum illud Incarnatæ divinitatis hîerothecium, vivumque Theandricæ puritatis gazophylacium, mortiferæ putredini, atque primigeniæ labis corruptioni obnoxium fuit? An inanime Arca Fœderis lignum tanto incorruptionis privilegio donatum fuit: & Arbor Vitæ, de qua benedictus fructus JESUS prodijt, emarcuerit, atque exaruerit,

pér-

pérque generalem refrigerentis charitatis in toto genere humano pruinam penitus pessumiverit? Absit hæc, absit indecora de MARIA cogitatio.

Infinita hodierna pro immaculato Virginis Conceptu Peroratrix Theologia foret, si omnes, tum de sacerrimo Bibliorum codice, tum de classicis Patrum voluminibus, sine labe Conceptæ Deiparæ prærogativas in publicum adducere vellet. Illud unicum trisnegistæ Matris allegat oraculum, quo piam de se Brigittæ opinionem hæc verbis firmavit, solidavitque: *Veritas est, quod ego concepta fui sine peccato originali.* Lib. 6. Revelationum S. Brigittæ. cap. 9. His dictis Theosophia perorandi finem fecit, ac rostra Academica Clarissimæ Jurisprudentiæ occupanda reliquit.

Theologicâ igitur finitâ Svadâ, intemeratam Mariæ causam assumit incorrupta Justitiæ observatrix, omnis recti ac æqui advocata, tranquillitatis communis parens, jurgiorum litiûmque diremptrix, læsæ innocentie efficacissima Patrona, illius, quod suum cujusque est, integerrimâ distributrix, Judiciorum anima, Tribunalium Astræa, Regum ac Imperatorum in regendis populis cynosura: Clarissima inquam Jurisprudentiâ pro intemeratæ Primulæ liliato Conceptu incorruptam causam dicit, robustissimûmque desumit argumentum ex illo recepto Jurisconsultorum dogmate: *Augusta gaudet Privilegio Principis.* Item ex illo Legis textu: *Princeps legibus solutus est. Augusta autem licet legibus soluta non est: principes tamen eadem illi privilegia tribuunt, quæ ipsi habent.* l. *Princeps ff. de Legibus.* Augustus Augustorum omnium Augustissimus est JESUS, Augusta verò Mater ejus MARIA: si igitur supra communem Adamitici populi fortem est Filius; ergo & Augustissima ejus Genitrix MARIA. Si nulli obnoxius peccati Legi Legislator Filius, ergo nec Legislatoris ter maxima Parens. Si summè exemptus à Principis tenebrarum servitute Rex Filius; ergo & ejus Reginâ Mater. Si ab infernalis tyranni jugo immunis Filius; ergo & illa, quæ caput ejus contrivit. Si liber ab originalis mortis tributo Filius; ergo & Mater viventium.

Ex adverso quantum Regiæ Palatîsque summi Principis chaos foret ac perturbatio, si Augustus Filius folio resideret imperatorio, Augusta verò ejus Mater pedibus mancipiorum substerneretur. O! quantum Regalis ac polyarchica prudentiæ vitium censeretur, si nullo Sangvinem inter regium, popularémque discrimine, omnia susque deque verterentur, nullâ Augustæ prolapiæ habitâ ratione, curâ, aut prærogativâ! Id sanè in rebus humanis factum fuisse lugeret orbis, si Augustus Augustorum omnium DEUS-HOMO, suam Augustam Matrem, nullo à communi maledicto exemisset privilegio, nullâ à fatali lege servasset immunitate, nullâ præ reliquis mortalibus in primò Conceptionis instanti donasset prærogativâ. Augustiora, augustiora mente volvamus de Augustis nostris; si enim terrenus Princeps eadem privilegia tribuit Augustæ, quæ ipse

ipse habet, quanto magis absolutissimus cæli terræque Monarcha Christus. Si Cæsares privilegia, gratias, prærogativas, atque immunitates sibi Augustæque suæ volunt esse communes: an non rationi summè consentaneum est, ut nihil in Augusta sua Matre tanta ejus Majestatem indignum perpetiatur Christus, quin eam illico à lege qualibet talem Personam dedecente eximat, dicatque, quod in figura olim Asverus ad Estherem: *Non pro te, sed pro omnibus, hac lex constituta est.* Lib: Esther cap. 15. An enim Augusta sit peccati serva, & Augustus Sanctitate plenissima Majestas? An Augusta prius inferni mancipium, quàm cæli Regina? An Augusta prius causâ cecidit, quàm omnium Advocata statueretur? An Augusta prius prævaricatrix, quàm nostræ calamitatis per Christum reparatrix? An Augusta prius jure infamis, quàm *Benedicta inter mulieres*? An prius Augusta sub mortis sententia, quàm nobis gigneret salutare DEI? Procul hinc, procul hoc probrum esto ab Augusta.

Et verò si MARIA non Augustarum more Regina, sed ancillarum instar serva fuisset: quid dedecoris, quid vilitatis, quid opprobrij in Augustum Filium derivari potuisset, ariolaretur sagacior orbis? Siquidem non alij, quàm servi nascuntur ex ancillis, secundum illum Juris textum: *Servi nascuntur ex ancillis.* §. *servi. Institutionibus, de Jure Personarum.* Si igitur MARIA unquam peccati serva, si tenebrarum principis unquam ancilla fuisset: ex ipsa genita proles, an libera, an ingenua, an Augusta unquam censeretur? Ex quo quantum in Divinitatem sacrilegium, in summum Principem crimen Majestatis, in assertorem omnis libertatis, quanta capitis diminutio, refundi posset, nemo est, qui ignoret.

Quod si Sacros Juris Pontificij Canones in defensionem illibatæ Conceptionis assumere velimus, liquidissimè exinde constabit, quantus favor, summorumque Ecclesiæ Caput benevolentia erga hoc intemeratum mysterium semper extiterit. Summus certè in terris Christi Vicarius Sixtus IV. *Extrava-gante. Cum præexcelsa. De reliquijs & veneratione Sanctorum.* Ità fideles omnes ad cultum venerationemque immaculati MARIE Conceptus cohortatur: *Dignum (quin potius debitum) reputamus, universos Christi fideles, ut omnipotenti DEO de ipsius immaculatae Virginis mirâ Conceptionis gratias & laudes referant, & instituas propterea in DEI Ecclesia Missas, & alia divina Officia dicant, & illis intersint, indulgentijs, & peccatorum remissionibus invitare, ut exinde fiant ejusdem Virginis meritis, & intercessione divina gratia aptiores.* Idemque Summus Romanus Pontifex *Extrava-gante. Grave nimis. Eodem titulo,* de Vaticana sua potestate trifulcum Excommunicationis fulmen in eos detorsit, qui qui temerario ausu asseverare præsumperint: immaculatæ Conceptionis assertores mortaliter peccare, vel esse hæreticos. Quid dicam de Sacratissimis Pauli V. & Gregorij XV. Constitutionibus, quorum Pontificum faventissimis auspicijs Sanctissimum Jusjurandum

super

super hoc illibato argumento hodie nuncupaturi sumus? Persuasam habet causam suam Clarissima peroratrix Jurisprudencia; quando sacerrimo ore ipsi Summi Ecclesie Dictatores pro illibata prima MARIE animatione tam luculenter perorant.

Supereff, ut Juridice eloquentie medica succedat facundia, suamque in semper intemeratam DEI Matrem pietatem contestetur. Jamque suas laudes illa salutis humane propicia curatrix, morborum propulsatrix, faustissima vite prorogatrix, altera nature parens, fatiscens collabentisque mortalis corporis propere thaumaturga reparatrix, illa omnigenae curativae virtutis sollicita indagatrix, illa divinae misericordiae filia, illa libitinae prepotens adversaria, Excellentissima inquam Facultas Medica suas laudes apparatus Magnae Infanti absque labe originali Conceptae, atque ita pro primula integritate MARIE perorat. Meliores sunt homini medicinae praeservativae, quam morbi contracti curativae; enim vero Redemptio Christi erat quaedam Spiritalis hominum medicina; igitur Christi Redemptio praeservativa melior est homini, quam Redemptio contractae originalis pestilentiae curativa. Atqui rationi conformissimum, est censere: Caestem Medicum Christum, optimam suae dilectissimae Matri medicinam in universali mundi contagione praescripsisse; ergo censendum est, medicinam, seu Redemptionem praeservativam eidem praescripsisse. Quis vero ignorat, Redemptionem praeservativam reddere hominem a contagione labis originalis immunem? Praeservativum enim si efficax atque probatum sit, ac insuper a voluntate praescribentis effectus ejus dependeat: certo certius a malo imminente praeservare consuevit; itaque MARIA hoc efficacissimo praeservativo adjuncta, dubio omni procul immunis facta est a contagione labis originalis; ergo est immaculate Concepta. An enim peste corripitur sine caelestis Archiatris suam Matrem, quam tam facili antidoto possit praeservare? An infernalis Hydra veneno afflari eam, cujus sub pedibus totum serpentis toxicum proteri potest? An contagioni obnoxiam, Juridam, squallidam, pallentemque larvam in Sponsam suam Spiritus Sanctus accipiat, potens habere totam pulchram amicam suam? Fortior enim infernus luem, quam DEUS antipanaceam parare possit? Indecens atque indignum est, id vel cogitare. Ergo ex dogmatibus, & aphorismis Medicis MARIA est immaculate concepta.

Galenus Medicorum facile Princeps in libro de Theriaca ad Pisonem scribit: Hippocratem Coum, illum ter auspiciatum humanae incolumitatis vindicem ac servatorem, divinisque propere cultum honoribus semideum, pestem immanem, quae ex emortua Aethiopia toti Graeciae jam jam fataliter impendebat, non alio praesidio a cervicibus Pelasgorum avertisse, quam aërem purum procurando, ne per halandi respirandi que vim ab hominibus pestilens aër attraheretur. Illud vero fortunatissime assequutus est, multifarios ignes per urbes & oppida,

vicos & pagos, calles & colles, valles & montes excitando, qui ignes non solum simplici constarent materia, sed bene olentes coronas, floresque suavissimos exhalarent, unguentaque pinguissima, omnigenosque suffitus redolerent. Quod pariter ad depurandum pestilentem aërem factum fuisse ab Acrone Agrigentino commemorat Plutarchus Lib. de Iside, & Osiride. Si igitur Summus Hippocrates, Acrónque lethiferas auras per suavissimam odoramentorum vim secundissime propulsârunt: quid conjectandum est de immaculata MARIA? quæ exquisitissimorum odorum suorum fragrantia, infectissimum illum Adameæ contagionis aërem quàm longissimè à se se removit. Illa illa enim est, de qua Ecclesiastici 24. scribitur: *Sicut cinnamomum & balsamum aromatizans odorem dedit: quasi myrrha electa dedit suavitatem odoris: & quasi storax & galbanus, & ungula, & gutta, & quasi Libanus non incisus vaporavi habitacionem meam, & quasi balsamum non mistum odor meus.* Et Canticorum 3. v. 6. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatis myrrha & iburis, & universi pulveris pigmentarij.* O quanta odorum copia! ô quanta suffimentorum fragrantia! ô quantum remedium propulsandæ à MARIA pestis Adameæ! Non enim bene conveniunt, pestiferi criminis mephtis, & suavissimus gratiæ odor; nec in una sede inorantur originalis contagionis carbunculus, & flagrantissimæ charitatis saluberrimus ardor. Nescit Salus infirmorum toxico lædi avernali, neque Mater viventium pestiferorum umbris est accensenda.

Quod si decantatissimum in Schola Galeni Alexipharmacum, efficacissimum adversus venena Mithridaticum, atque omnem medendi vim continens universale Panaces, Excelentissima arte, medicæque industriâ confici potest: quid supremi Numinis in MARIAM propensissimi omnipotentia erit concedendum? An illa thaumaturga dextera, quæ arborem vitæ in medio Paradisi collocavit, viventium Matri de nulla providerit panacea, nullum paraverit antidotum, nullam procurârit adversus maledicti serpentis toxicum præservativam? Certè de MARIA scriptum est: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & seminum tuum, & semen illius, ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo illius.* Gen. 3. v. 15. Sibilare videlicet potest maledictus serpens, at non exhibilare MARIAM; Stridere virulentis dentibus, at non mordere; minari aculeo, sed enervi. Effatum animarum Medici de suis fidelibus est: *si mortiferum quid biberint, non eis nocebit.* Marci 16. v. 18. Quântò minus MARIE, quæ tantæ diætæ, abstinentiæ, atque inediæ fuit; ut mortiferum pomi Damasceni succum nè primis quidem labris degustârit. Quomodonam ergo primam mortem glutijt, quomodo serpentis virus combibit, quomodo communi Adameæ fatalitati obnoxia fuit? Concludit igitur pro immaculata Virginis Conceptione Medicus Orator: MARIAM ab omni originali non tantum morte, sed etiam vel levissimo morbo, nævôque immunem semper extitisse.

Absoluto igitur Excellentissimæ Facultatis pro niveis DEIPARÆ pri-
 mordijs argumento, pro suggestu oratorio Doctissima succedit Philo-
 sophia, sumptisque ex Aristotele principijs, ita sacratissimam Primulam
 probat immaculatam. Secundum Philosophorum Principem *ex Libris de*
Cælo. Cæli sunt incorruptibiles; ergo cælum animatum MARIA, Adameæ
 non fuit obnoxia corruptioni. Antecedens à lite Philosophica hodie exemptum
 esto: quoniam in præsentiarum nullus Scholasticis clamoribus, nullus altercacioni-
 bus conceditur locus. In ordine enim ad eruendam piam consequentiam, suf-
 ficiat in antecedenti Philosophorum Philosophi Summa auctoritas: *ἀπόρος ἔφα.*
 Vis ergo in illatione sita est, quam sic Philosophicus roborat firmatque Orator.
 Puritatem majorem esse oportere cæli animati, quàm inanimati, apud omnes est
 in confesso; at enim MARIA cælum est animatum; proinde puritatem ejus majorem
 esse oportebit, quàm cæli duntaxat inanimati. Si itaque illud corruptionis
 expers, multò maximè & MARIA. Cælum equidem inanimatum sit mundissimus
 DEI thronus, & MARIE Uranopolis labe scateat? Scabellum pedum DEI
 sit purius, quàm æthereum materni uteri solium? Astrorum domus nitidior, quàm
 palatium sacratoris Astræ? Zodiaci bellæ pulchrius stabulentur, quàm Cæli
 Dominus in materno hospitio diversetur? Venustiores sive arcticos, sive antar-
 cticos, sive cancri, sive capricorni, sive æquatoris, sive meridiani, venustiores in-
 quam circulos habeat Cæli Uranie, quàm Spiritus Sancti Nympha Sponsaliticus an-
 nulos? Absit hoc dedecus, probrumque ab incorruptione MARIE. Videlicet (si
 lingvâ Poëticâ Philosophis sermocinari licet) adultero Jovi, lascivæ Veneri, infan-
 ticidæ Saturno, furaci Mercurio, latrocinanti per arma Marti, illi in sola instabili-
 tate constanti Cynthiæ, illique cælorum exuli, Admetique Regis pastori Cynthio,
 incorruptum tribuatur cælum, & coronatæ stellis cælorum Reginæ thronus sit
 ulla labe sordidus, sit ulli obnoxius corruptioni?

Profectò si ulla in Philosophia vera propositionum conversio est, illa præ-
 primis erit: *MARIA est, ergo immaculatè Concepta. Immaculatè Concepta, ergo*
MARIA. Ità ut prædicatum immaculatè Conceptæ non jam ut adjacens, sed
 accidens de Virgine Sacerrima prædicetur, sed ut proprium convertibile cum
 eadem. Quid quid Philosophus de Ortu & Interitu subtilissimè scripsit, id re-
 liquis mortalibus Philosophia vult esse commune; at vero exemptæ MARIE,
 libros de solo ortu cupit esse proprios, nihil de fatali interitu, nihil de corru-
 ptione cum cetera Protoparentis progenie tolerans commune.

Quod si politicissimam Ethicem consulere libet, quid pro illibato Virginis
 negotio ex sapientissimis Stagiritæ libris afferre liceat, illud solum reponet:
 Numen supremum potuit eximere, Matremque DEI decuit ab originali macula
 exemptam esse; ergo fuit exempta. Quod enim in politicis majus argumentum
 esse queat, quàm decentiæ, quàm decori ratio? Nobilis sublimisque animus non
 opes,

opes, non facultates, non res fortunæ omnes tanti facit, quanti integerrimi nominis famam, gloriam, ac immortalitatem. Cum igitur ex re dignitatis, excellentiæ, atque sublimissimæ prærogativæ Maternitatis DEI fuerit, ab originali culpæ nævo, stygij serpentis toxico, Adameæ corruptionis contagione indemnem esse: indemnis, immunis, libera, milléque titulis exempta, uno fuit. Ità Zelantissima pro niveo MARIÆ ortu Philosophia.

Atque adeò audiistis *ILLUSTRISSIMI ac EXCELLENTISSIMI REGNI PROCERES, REGIIQUE LOCUMTENENTES*; audiisti Celeberrima Universitas Carolo-Ferdinandea, Pragensis, quonam pacto unanimi consensu, conformi zelo, parili studio, confæderatis votis, unita pietate, uno eodémque ore, omnes quatuor Inclytæ Facultates magnam cæli terræque Reginam dixerint immaculatè conceptam. Nunc nihil aliud superesse videtur, quàm ut eadem devotissima Mariano honori quaterna unitas, unitissimisque quaternio, receptum suum de immaculata MARIÆ Conceptione nuncupet Sacramentum.

D I X I.

